



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex**

**Delrío, Martín Antonio**

**Mogvntiae, 1624**

Sectio XVII. De libris Magicis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

monibus in corpore formato vel assumpto. Item sciunt distinguere vel inter veros homines qui choreis intersunt, & inter demones illis permixtos. Ideo possumus negare Burchardum de strigibus nostris loqui; quare secta diu post adhuc ignota mansit. Secundo dubium est quo pacto Burchardus accipiat illud; *necessario*. Nam si de necessitate absoluta, ut velint nolint cogatur eo in bestiis aduolare; perspicuum est eum de nostris non agere; quare si nolint, eo non deuehuntur, sed domi manent, sed postea penam aliquam absentiae luunt. Si vero intelligit necessitatem conditionatam, v.g. debent ire, si nolint affigi; male id adscribit infidelitati, nam res ita se habet de facto. Si capit de necessitate morali, v.g. quod putet se peccare non eundo, & ideo ire debere: hoc nihil attinet ad nostras, quae sciunt se peccare eundo, non vero remanendo. Et sane toto illo capite nihil proponit Burchardus has sentire, quod rectae fidei repugnet, iuxta iam a nobis demonstrata. Nec mirum hac in re illum errasse: qui in eodem capite halucinatur circa tempestates ciendas, & maleficium amoris odijque; ut ostensum lib. 2. & 3.

*Ad 5. Argum. ex resp. ad 4. patet solutio.*

Habent aduersarij plenam (nisi fallor) *ca. Episcopi*, explicationem quam velim eos perpendere, sine proteruita, aut peruicacia; quae faciunt, ut videntes nihil videant.

## SECTIO XVII.

### *De libris Magicis.*

**N**ec possunt ad haereticos transmitti, nec legi, nec retineri; sed sunt igni tradendi; ut iure antiquo cautum, & in primitiua Ecclesia obseruari solitum

al. cetero  
D. fam.  
hercis. I.  
mathe. C.  
de ep. au-  
dien.

**A** b; & hoc renouatum edicto Pij. IV. & Clementis. VIII. Pontif. in regg. quas praefixerunt Indici, *lib. prohibet. Reg. 9.* Intellige praeterquam ab illis; quibus prohibitorum librorum generalis lectio, in bonum publicum Pontificis Maximi auctoritate fuerit concessa. Solis Pontificibus reseruatum est, hanc licentiam largiri, & quibus ipsi hoc permiserunt; ut nominatim omnibus Inquisitoribus fidei, & eorum commissarijs, pro tempore existentibus: Episcopis vero, eo solo quod Episcopi sunt, haec licentia legendi libros prohibitos non competit, ut docet Penna *e*, & hoc fuit a Pio V. quibusdam Episcopis discrete resposum. Sunt autem tales libri, non auctoritate propria comburendi; sed potius deferendi ad inquisitores. Qui eos retinent, nisi deferre parati sunt, non sunt absoluendi: & haec absolutio reseruata est habentibus potestatem absoluendi a casibus bullae canonice Domini: & ab alijs impensa absolutio, nulla est & inualida, sunt etiam tales retinentes vehementer de eadem haeresi suspecti: si libri sunt ab alijs compositi. Nam si ab ipsismet compositi forent, plene conuincerentur, & damnari possent ut heretici magi; si tamen faterentur a se compositos, vel a se scriptos, vel ab alio se dictante scriptos, nec quicquam causari possent quod eos ab haeresi criminaretur. *vide de hac re bene loquentem Simian. in prax. ann. 4. tit. 39.*

**D** Idem quod Inquisitoribus fidei, quo ad librorum horum vltimum puto esse publicis Librorum Censoribus Ecclesiasticis: non vero DD. quia doctores sunt, nec Parochis quia Parochi. quod diligenter notandum, et si in multis locis periculose Parochi & DD.

hoc ius sibi usurpent.

SECTIO